

der Mitglieder des Prediger-Ordens.

57

totius ordinis Predicatorum humilis magister et servus, cum recommendatione humili regna caelestia promereri. Quoniam plenitudo caelestium gratiarum in illis debet eminentius habundare, qui nobilitate generis super alios pollere singulariter dinoscuntur, ut morum honestate et vite puritate sint ceteris in exemplum, ipsarum vero gratiarum dona largiflua a copiosa clementia redemptoris eis largius diffunduntur, dum suffragantur eorum merita, qui terrenis illecebris abdicatis in custodiendis divinis preceptis et consiliis incessanter invigilant secundum gratiam a domino sibi datam. Hinc est, quod attendens vestre sincere dilectionis affectum, quem habetis ad nostrum ordinem singularem, vobis omnium missarum, orationum, predicationum, jejuniorum, abstinentiarum, vigiliarum, laborum, ceterorumque honorum, que per fratres et sorores nostri ordinis dominus noster Ihesus Christus per mundum fieri dederit universum, participationem concedo tenore presentium specialem in vita pariter et in morte, ut multiplici suffragiorum presidio et hic profectum continuum et in futuro mereamini regnum consequi sempiternum, in cuius concessionis testimonium sigillum officii mei duxi presentibus appendendum. Datum Basilee in nostro generali capitulo ibidem, in festo penthecostes celebrato, die septima mensis Junii anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio.

Collationata c.

Pfäzger Copiebuch 61 fol. 259^b.

Dotacio monasterij ordinis Praedicatorum in suburbio Heidelbergensi. Augusti 1474.*

Nos Fridericus, dei gratia comes palatinus Rheni, sacri Romani imperij archidapifer, princeps elector, ac Bavarie dux, omnibus imperpetuum has litteras nostras lecturis et audituris notum facimus ac presentibus recognoscimus et fatemur, quod nos animadvertentes res huius mundane fecis transitorias, caducas et incertas esse, nichilque melius ac certius in hac vita pro salute nostra nobis comparare posse, quam gratiam et misericordiam omnipotentis dei, quippe quod quidquid boni, dum in hac terrena vita versamur, fecerimus, nobis ad gratiam divinam impetrandam adiumento erit. Verum

* Diese Urkunde ist aus dem hier befindlichen Pfäzger Copiebuche 12 fol. 256 abgedruckt. Sie steht auch bei Wittdweir a. a. D. fol. 92 bis 97 nach einem Transsumpt von 1478, welches im Pfäzger Copieb. 61 fol. 203 sich findet. Er gab ihr die Ueberschrift: fundatio monasterii ff. Praed. Heidelbergae. Auffallend ist es, daß dieselbe in den Regesten Friderichs von Meusel: Quellen und Erörterungen Band II. S. 498 fehlt.

Quellensammlung. IV.

quia subditorum nostrorum iugens cura regiminis et temporalis voluptatis delectatio, proch dolor, sepenu-mero retrotraxit, quod pro salute anime nostre non semper cogitavimus neque opere adimplevimus, sicut merito fecissemus et nobis opus fuisset. Sed sicut sacre pagine insignes doctores docent, quod servicium et oratio illarum personarum, que se deo continue ad serviendum probate laudabilique vite dederunt, acceptabilis ac valde grata sit deo, pro illis et benefactoribus eorum, qui vere ac sancte matris ecclesie statum tuentur et tueri iuvant et ut eciam ipsi grati sumus, quod nos multifariam hactenus longe plus, quam nostra prudentia fuerit, protexi et custodivit ac adhuc custodire potest. ideo ad honorem et gloriam dei omnipotentis, gloriosissime virginis Marie, genitricis eiusdem dignissime ac totius caelestis curie atque militantis ecclesie commodum orthodoxe fidei tuitionem et sacrarum scripturarum studium, doctrinam et predicationes exigi fecimus et edificari novum quoddam monasterium in suburbio opidi nostri Heidelbergensis ad usum fratrum ordinis Predicatorum de regularis vite observantia, cui hoc ipsum monasterium dominus noster sanctissimus Sixtus, papa quartus, in bulla sua plumbea, quam nos impetrare fecimus auctoritate apostolica assignavit quodque patres ordinis in actis capituli generalis eiusdem ordinis, nuper* Rome celebrati, pro conventu ordinis assumpserunt, ut prefatum monasterium perpetuis futuris temporibus sit et maneat conventus eiusdem ordinis, nos Fridericus, sicut dudum viva voce idem monasterium ordini prefato donavimus, ita nunc quoque in hijs nostris litteris libera voluntate ac animo promptissimo hoc ipsum monasterium offerimus atque donamus perpetue ac irrevocabiliter pro nobis, nostris heredibus et successoribus cum fundo, edificijs, ortis vicinis, per nos emptis et eciam in brevi emendis, libera ab omni onere et gravamine in necessariam et decentem loci et emunitatis amplitudinem et cum omnibus attinencijs, ubicumque constitutis. Damus insuper licenciam et auctoritatem fratribus predicti conventus acceptandi et retinendi ortos, conventui propinquos, pro deo fortassis a Christi fidelibus in vita vel in morte ipsis donandos sive legandos, ac eciam huiusmodi ortos, nacta facultate comparandi et emendi. Item volumus et promittimus pro nobis et nostris successoribus fratribus predicti conventus prestare consilium, assistenciam et auxilium ad hoc, quod gaudeant et

* Nach Quétif a. a. D. p. XIX. fand dieses Generalscapitel am 29. Mai 1474 statt. Wirklich ist diese Urkunde etwa im Juni oder August 1474 entworfen worden.